

QK 271.39C

X 2121535

Υ ΠΕΡΑΣΠΙΣΜΟΣ

Ze  
4332

PRO SCRIPTIS

# CYRIACI LENTULI:

ADVERSUS

NOVUM CRITICUM,

JUDICIA DE POLI-  
TICIS CEREBROSO E PARNASSO  
PROFERENTEM.



1890/91: 199

MARBURGI CATTORVM.

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.

Anno M.DC.LXIX.





THE UNIVERSITY OF

OF THE STATE OF

NEW YORK

LIBRARY

ADMISSION

NOVEMBER 1880

LIBRARY

OF THE STATE OF

NEW YORK



LIBRARY

OF THE STATE OF

NEW YORK







**D**rimum officium iustitiæ est  
conjugi cum Deo, secundum cum ho-  
mine: inquit Lactantius Firmianus. A  
quo iustitiæ munere longè abit, qui pro  
Deo Apollinem, τὸν ἀπολλύοντα, secutus  
mordaci stylo famam, alteram ingenuo-  
rum vitam, celebrium prudentia civili virorum lancinat.  
Tenebris hic ficti nominis & nebula tectus (tenebrionem  
vocarent & nebulonem, quibus non nimium verecundiæ  
est) præterito scriptorum vulgo, fama per Eûropam claros  
maledicentia arripit. Aliis ne guttam quidem boni nomi-  
nis relinquit: alios ita laude à frontispicio aspergit, ut postica-  
eductos insigni vituperio maculet. Sic Draco hominem  
interfecturus amplexatur: Sic scorpio, quem ore innoxio  
præterit, cauda exerta enecat. Sed ut venenis contra ve-  
nera pharmacum salutiferum inest, ita hunc scorpionem  
vulnori sanando illinendum.

Primo in censendorum agmine ponit Cyriacum Lentu-  
lum: & palpatione in eum & flagellatione insignis. Dulce  
temetum propinat: virus occultè instillat. Sirenum hi can-  
tus animam lethifero somno opprimunt: sed non nisi aures  
patentes præbentium.

Voluit Lentulus hunc Nugatorem contemptu, ut mere-  
batur, præterire. Sed cum ab imperitis jactaretur, Opus ejus  
postre-



postremæ editionis esse refutatum, his saltem opinionem  
eam ut eximeret, defensionem sui non esse negligendam cen-  
suit. Age Cacus hunc, fumo se defendentem, spelunçæ la-  
tebris protractum, membratim discerpamus.

*Cyriacus Lentulus acri, ut mihi videtur, iudicio pollet, nec  
quicquam deest ad orationis cultum.*) Περίμωσο: bolum veneno  
illitum Lentulus non appetit. Nec ipse Christus Dæmonem,  
nec Paulus Pythonem, vera nocendi studio promentem, ve-  
ritatis testem admisit.

*Plura fortassis legit, quàm alius quisquam.*) Medium te  
constrictum teneo. Si multa legit Lentulus, si quæ legit acri  
iudicio digessit, si cultu orationis comsit: corruunt, quæ in  
ejus existimationem mox torquebuntur, machinæ.

*Forstnerus tamen & experiendo felicior, & accommodandis  
exemplis longè ipso superior fuit.*) Sibilum proserpens bestia  
movere incipit: quò superstiribus agrè faciat, fato functos  
supra modum laudibus extollit. An non in mentē venit illud  
Velleji Paterculi, *Vivorum ut magna admiratio, ita censura  
difficilis est?* quod tu vestibulo calumniosi operis inscriptum,  
protestatione factò contraria, in alienum à mente Velleji sen-  
sum torulisti. Forstnerum è scriptis eruditis novimus, virum  
tui dissimilem. Sed nec ipse ex aliena contumelia gloriolam  
unquam captavit, & tuum de se arbitrium repelleret.

Experientiam verò, prudentiæ CIVILIS ANTICVIV, quod  
omnem Cyriaco Lentulo detrahis, næ tu aut vitam Lentuli  
ignoras, aut pueriliter ineptis. Peritum rerum Ulysses  
Princeps Poëtarum in theatrum producturus, multarum  
eum gentium, maris & terræ sinuum, è peregrinatione gna-  
rum fingit. Lentulus non fabuloso errore terris & mari cre-  
brò jactatus, multorum regum aulas lustrando, complutium  
gentium mores perlustrando, experimento nihil didicerit?

Errat



Errat qui solis in dicasteriis, procuratoriæ litis & privatarum  
causarum iudicii strepitu diem terentibus, imperandi artem  
aut jura belli & pacis nasci putat. Et Forstnerus reipublicæ  
literariæ scribendo, & Lentulus profuit: uterque è suo facto,  
non ex aliena ignominia, laudis messem ferat: imò uterq;  
Dei, non suam, gloriam operando quærat.

*Berneggerum cur illi posthabeam, multa mihi causa suppe-*  
*tunt.* ) Τίς σε κατέστησε δικάστην; quis te constituit iudicem? Ex-  
tra provinciam tuam jus dicentem uterque repellit, uterque  
iniquum iudicem pronunciat. Nec se cuiquam in tui gra-  
tiam postponit Lentulus, nec se cuiquam amplissima merito  
præferri desiderat.

*Ceterum Conringio in rebus Civilibus, Boclero in Historia*  
*Romana Lentulus noster proximo statuendus loco est.* ) Quan-  
quam viros minimè pudendæ famæ profers: negat tamen  
Lentulus se unquam cum iis de loco, ut puerilibus in classi-  
bus, disputasse.

*Parum etiam censeo abesse, quin in plurimis ad Ammirati-*  
*acrimoniam feliciter ceteris accedat. In Tacitum dum commenta-*  
*tur, & minùs ascita dictione utitur, & diffusius disserit, & con-*  
*venièntissimè iudicat.* ] Veritas cogente natura, etiam ab in-  
vitis pectoribus erumpit. Lact. Instit. lib. 2. Sed non, ut  
dicto, ita dicenti assensum præbeo. Recedit, ut acriori  
ictu incurset.

*Verùm ad lucem juris Germanici, quod publicum dici-*  
*mus, &c.* ) Statum imperii Germanici ex incunabulis, id  
quod ante eum neglectum aut non perspectum fuit, ad Au-  
ream Bullam perduxit. Parcior fuit in rerum præsentium  
descriptione: non quod oculis captus cæcutiret, sed quod de  
iis operosa & onerosa extarent, Limnæi & aliorum, volu-  
mina.



mina. Non enim eum actum agere juvat: multò minùs  
messum aliorum in suam arcam convasare.

*Ejus de jure belli ac pacis opus infra magnitudinem Grotiani  
judicii est.* ) Magnum ingenio & eruditione virum nomi-  
nas: cui tamen multum magnitudinis ex opinione vulgi ac-  
cedit. Etiam qui non percipiunt mentem Grotii, etiam qui  
nunquam eum triverunt, dictaturam ei in orbem literarium  
deferunt. Quid Grotius, quid Lentulus veritate judicii,  
sermonis perspicuitate, methodi facilitate præstiterit, oculi  
atra lolligine non aspersi judicent.

*Stylum pulchra subinde imitatione expressit.* ) Nec Gro-  
tium sibi Lentulus, nec quenquam recentiorum, stylo for-  
mando imitandum unquam proposuit. Prodigium non est,  
aliquid occurrere similitudinis, in ejusdem ævi scriptoribus,  
& qui eadem Romanæ majestatis vestigia calcaverunt.

*Sapè tamen aliquid ex sordibus asciti sermonis aspergit, &  
linguarum non semper ingenium satis rectè discernit.* ) Si nihil  
in linguis Lentulus, hoc saltem didicit, *διαβολον* latinè sonare  
Calumniatorem, *ἰσως* adversarium, Dei & hominum sine  
causa osorem: Mendacem, & quidem in perniciem homi-  
num mendacem, ex utroque fluere. Tu quo Apolline agi-  
teris, etiam atque etiam cogita: & ut eo libereris, precatio-  
nibus & jejuniis te macera.

*In qua parte cum præceptore Boxhornio paria non facit.* )  
Boxhornium semel, vix iterum, publicè legentem Lentu-  
lus audivit: quem, si quid discere ab eo posse percepisset,  
frequentius audivisset. Marburgi demum, superiori anno  
cœpit opusculum aliquod ejus lectu non indignari. Ipse  
Boxhornius Lentuli, non admodum sibi familiaris, Augu-  
stum, qui tum primus foetus extabat, contubernalibus suis  
seriò legendum commendavit. Sed hæc mitto: nec enim

tam



ram vilis est autoritatis Boxhornius, ut præceptoris ejus pu-  
deat. Ullamne præter Latinam, & patriam Belgicam, lin-  
guam calluerit, nullo mihi indicio innotuit. Lentulus non  
multis ab hinc annis, ab aula Dilleburgica exoratus, decem  
linguarum carmina edidit. In scriptis editis adulterinum  
linguarum sensum, aut sordes ulla Latinitatis, ne Zoillus qui-  
dem illi impingeret. Tam verecundi oris est Criticus, tam sui  
memor, ut eadem pagina Lentulo nihil de esse ad orationis  
cultum scribat, & crebram illi sordium illuviem attribuat.

*Apicem gloria Romana, quem sic inscripsit, vix dixerim  
gloria literaria fastigio convenire.*) Nunc pleno hiatu ri-  
ctum Draco, Sapientiæ Satyricæ arbiter, Apollo infernalis,  
pandit. Nunc personam, quam ægrè hæctenus texit, veram  
promit. Si in superiori censura, quamvis fallaci, substitis-  
set: bilem Lentulo non movisset. Opus mole amplissimū, di-  
gnitate materiæ nobilissimum, Nephelococcyx aggreditur:  
ut eo machinis occultis subruto, reliquorum æstimatio ruat.  
Novus è Platonis adytis Gyges, annuli invento mysterio,  
se aliis invisibilem, sibi alios conspiciendos facit. Sed non  
succesum semper habent scelera: si Gyges ex de Domini,  
& adulterio pollutæ reginæ, regnum adeptus est: Cerbe-  
rus è latebris infernalibus protractus lucem insuetam horruit.

*Industriam tamen non reprehendo. In ordine verò & cu-  
ra multum desidero.*) Perge judicium tuum ipse subvertere,  
præstantissimum opus non diruere. Curam ab industria  
disjungis, ordinem ab acrimonia judicii. Sic ergo mecum  
collige: Cujus est non reprehendenda industria, qui acri pol-  
let judicio, cui nihil deest ad orationis cultum, ejus Apex  
gloriæ literariæ fastigio convenit. Lentuli est, &c. Minor  
est Novi Critici. Major probatione non indiget. Conclu-  
sio ductum præmissarum sequitur. Iterum sic argumenta-  
re: In



re: In quo opere ordo non desideratur, in eo nulla est confusio, nulla tumultuatio. In Apice, &c. Minor probatur. Quod & industriè & acri iudicio conscriptum est, in eo ordo non desideratur. Minorem Censor suppeditat, Major facili negotio probatur. Iudicii enim non exigua pars est ordo: imò iudicium ordo aliquando absorbet. Hinc Stoici Græci, & ex iis Cicero, ex utrisque Ramus, orationem disertam in Inventionem & Iudicium tribuunt; manifesta Iudicii, pro Ordine & Dispositione, acceptatione. Si nec Cicero huic Critico latine, nec Stoici græcè locuti sunt: quærat sibi alios in Parnasso linguarum interpretes.

*Veluti primoribus labris attingit*) Si non expletum est tuum desiderium, fatere ignorantiam. Sin hæc ipsa non ignorata tibi fuerunt, cur plura desiderabas? Lentulus multa tanquam vulgata præterit: ne τῷ Διὸς κορίνθῳ nauseam lectori erudito paret. Non imi subcellii viris, altioris indagiginis choro scribit. Si hujus ingenium viri perspicio, satietatem in pleniori opere & fastidium incusasset, qui nunc jejunitatem inverecundè accusat. Si vastæ molis opere fauces nondum expleo, lautiores sibi epularum apparatus quærat. Non mihi tales convivæ accersuntur, qui, cum mensam convivatoris pervertetint, de paucitate ferculorum conqueruntur.

*Adhibet etiam subinde vocabula præter morem Latinorum.*) Ἔς ποτ' ἀδανείαν ἐερῆσις. Sus, quod dicitur, Minervam. Novissimorum vox, quo tu sensu ea in libelli infamis fronte uteris, eruditis non probatur. Sarckmasius nec Latinum nec Græcum est: nisi fortè Sarcasmio scribendum sit: quod Sarcasmorum fauces plenas habeas. Albipolitanius vox è Græco & Latino composita, sutrinam potius quam Parnassum olet. Tot tu ævos Latinitatis in volumine scriptorum



ptorum Lentuli monstra, quot janua tua exhibet. Si quod  
fortè rancidum verbum occurret, è sequiori seculo auctoris  
allegati erit, non allegantis Lentuli. Nec Historicos excer-  
pit, nec compilator jure audit, qui testimoniis historicorum  
utitur. Jam tu homo juris publici ignorantissime, aut inter  
carbonarios candidissime, jus publicum Historiæ præcipuè  
originem suam debere ignoras?

*Quæ ex jure civili & orationibus collegit, &c.* ] Col-  
legeritne Gothofredus fructuosiora, incertum est: nec  
cum eo contendit Lentulus. Multis certamine Olympico  
currentibus, unus ad ore coronatur, cæteri vituperii probris  
non asperguntur. Præmia laborum in medio posita sunt:  
sed ea ab agonotheta, præconis præeunte voce, tribuuntur.  
Tu quis es, qui nullo certamine proposito, & brabeutæ, &  
præconis, imò gloriæ alienæ prædonis, partes tibi sumis?

*Cujus in Senecam Scholæ* ) Quorsum hæc omnia? qui-  
bus cum Scholis Lentuli, aut Locis Communibus, compa-  
randa? Deinde, quæ est ista sermonis ἀκρολογία, quæ Lo-  
cos Communes per Scholas interpretatur?

*In studio compilandi poëtas* ] Quid tibi tandem est com-  
pilatio? In Ciceronis ad Cælium epistola lego, Chresti com-  
pilationes, quæd Gothofredus ad interpretatur, Chresti  
furta. Vicino significato frater Tullii, De petitione Consu-  
latus: Caupones omnes hic compilare per turpissimam le-  
gationem maluit: Apertiùs ipse Tullius quid sit compilare  
declarat: Consulem, exercitum, provinciamque compila-  
rit; & propter impudentissimum furtum aufugerit. In Ver-  
rem, lib. 1. Tunc, homo alienæ famæ furacissime, Lentu-  
lum alicujus furti & compilationis insimules? Cujus ille poë-  
tæ carmen pro suo unquam venditavit? aut cujus poësin fur-  
to unquam subduxit? Adeóne tibi omnis frons perit, ut nihil

B

ORIS



oris tibi, nisi ad convitiandum, superfit? Dices fortè, ex vulgi Germanorum sensu, non ex antiquitatis Romanæ frequentato usu, vocem compilandi te capere. An ergo Latina te Lentulus doceat, ea mercede, ut eum præter morem Latinorum loqui spargas? Sæpè tibi præter morem Latinorum loqui Lentulus videbitur, si Latinismum ex ignorantia seculi, & putidis Germanis lacunis, æstimes.

*Qua ad jus Pontificium annotavit*) Plenam in jus Pontificium commentationem Juris publici descriptio non exegit, ac ne admisit quidem. E Sylva juris, quod Canonicum vocant, arbores Lentulus elegit, easque exasciando operi suo aptavit. Justum in Canones & Decreta Pontificum Commentarium aliis, aut temporis alius meditationi, reliquit. Ex Momi, Dei ipsius nedum hominum opera carpentis, judicio ita quis argumentaretur: Baronius exactiori cura multis voluminibus annales Ecclesiasticos persecutus, nihil rerum Ecclesiæ veteris omisit. Ergo culpandus est, qui aliquid ex iis in opere non magnæ capacitatis, & non ejusdem per omnia materiæ, præterit. Navis prætoria quinque velis in oceano ventis impellitur: Ergo totidem vela cymbæ per flumen decurrenti sunt aptanda. Quis ferat aliquem, quamvis ipso in Apollinis gremio & Miniarum genu foveatur, ita argumentantem?

*In censura Patrum vix primas lineas duxit.*) Sive primas, sive postremas; patres omnes virgula censoria perstringere, nunquam Lentulo fuit propositum. Sed dic seriò: Patres ne unquam legisti? an omnes aut plerique cognitionem tuam fugiunt? Si prius; Habebas Politicus quod ageres, Theologis sua relinqueres. Sin, quod magis ex veno videtur, postterius: de coloribus cæcus ne judica.

*Habent*



*Habent Politici, quod agant, Theologis sua relinquunt.*)  
Si nescis, Cato: (nam & Cato in Scipionem mordax fuit)  
Lentulo inter alias functiones Historiæ Ecclesiasticæ pro-  
fessio, ipsorum Theologorum offerentium voluntate, cre-  
dita est. Non igitur cura rerum Ecclesiæ ab officio ejus ab-  
horret: nec ex lege prudentiæ eam à se alieniorem censere  
debet. Imò ne Politicus quidem, ab historia Ecclesiastica  
alienior, extra oleas vagaretur, si statum regiminis Eccle-  
siastici, si sacrorum & sacerdotum ordinem, in Jure publico  
consideraret. Nonne vides, homo oculatissime, Publicum  
jus in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistere? O-  
culos vel ad ipsa Digestorum principia aperi, & me vera dis-  
serere fateberis. Quod si primus in jure publico Lentulus  
exegit, quod instituti promissifuit: aliorum ante eum aut  
negligentia, aut rerum sacrarum ignorantia, aut historiæ de-  
nique insecitia, culpa Lentulum non coinquinat. Si plenè  
officio functus Lentulus, ad causam dicendam in jus rapitur:  
quanta manu iniectione traheretur, si quid ex debito  
opere resecesset?

*Existimationi in posterum melius, atque hætenus factum  
est, consulant.*) Volumine, De Statu rei Romanæ, in lucem  
edito, non malè existimationi suæ Lentulus consuluit. Quod  
ante eum nemo mortalium, Jus publicum imperii Romani,  
ab ipsa Urbis origine, ad nostra secula continuata serie per-  
duxit. Vel ipsa operis inscriptio legatur, tractationi conve-  
niens: Et qui idem præstiterit, ex omni antiquitate, & ex  
recentiori memoria, proferatur.

*Laude interim sua nequicquam fraudaverim.*) Mallem  
eum omni laude fraudasses: Sic & quam hostili in eum ani-  
mo feraris magis constaret, & impudentia tua esset insigni-  
tior. *Δαίεα δ'δωρα* sunt hostium dona: & hostile præconium est

VIRO



viro laudato nocentius. Ut hæc ipsa laudatio, monstri cauda non benè absconsa, vituperatione terminatur. Quin tu aliquid ipse molire, si nominis tantum est desiderium: aliquid sublimioris ingenii orbi literatio inferre, quod legentes in admirationem sui rapiat. Bonorum insectatione nunquam inclaresces: & Therfites alter fortassis aliquando vapulabis. Fors & religionis diversitas, non exiguis in tuo scripto iudiciis, nigriorem tibi Lentulum depinxit. Sic gravius hallucinatus fueris, controversias Theologorum in Parnassum Politicum transferendo, quàm, qui de Sacerdotibus in Juris publici stadio egerat, impegit. Quando ita fert seculi labes, sit aliquis Romanus-Catholicus, sit Lutheranus, sit plenè Reformatus: factionum odia in vitam civilem ne congeramus. Sin nullo partium studio abstractus, sola animi virulentia, aut amarulento invidiæ succo traheris, vitæ tuæ conditio est multò desperatior. Neminem posse ferre ingenio superiorem aut parem, omnes aut morsu lædere aut sibilo fugare, ut solus vacua in arena regnes, Basiliscorum est. Ipse, quanquam serpentino stridore à te afflatus, tale tibi in solitudine regnum, tale animi virus non imprecor. Cave Apollinem cave, cui opus tuum sacraisti: cave supremum Sapientiæ Satyricæ Arbitrum. Nunquam ille boni quicquam suggestit: nec boni quicquam in omne ævum suggeret.

Postremò vel existimationi tuæ in posterum melius consule: ne si quid mordacius in quenquam vibraveris, cogendis prodere autorem bibliopolis, è latebris in lucem cum ignominia protraharis. Sin hominum iudicia nubis velamento eluseris: cave credas futurum, ut omnium creatoris aut lateas cognitionem, aut potestatem effugias.



AK 271.39C

X 2121

Υ ΠΕΡΑΣΠΙΣ

PRO SCR

# CYRI LENTU

ADVER

NOVUM CR

JUDICIA I  
TICIS CEREBROSO  
PROFEREN



1890/91

MARBURGI CA

Typis SALOMONIS SCHAD

Anno M.DC.



e  
332

